







9200
Q. D. B. V. 1

CAPITA IVRIS ECCLESIASTICI LECTA
DE
IVRE PATRONATVS SVSPENSO
ET
AD PRINCIPEM DEVOLVTO

PRAESIDE
CHRISTIANO GOTTLIEB
HOMMELIO D.

TIT. DE VERB. SIGN. ET REG. IVR. PROF. PVBL.
ET FACVLT. IVRIDICAE VITEMB. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORE

DIE XXV. SEPTEMBR. A. R. S. CIODCCLXXXL

DISPVTANDI CAUSA

PROPONIT

CAROLVS CHRISTIANVS AVGVSTVS
BENEMANN

DVBENA - SAXO.

WITTENBERGAE

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

LIBRARY OF THE PATRONAL SOCIETY
AND PRINCIPAL DEVOEYTO

CHRISTIANO GÖTTLICH
HOMMELOE

IN ADIUTORIO
DIE XXV. SEPTEMBER A. M. 1700
DIE XXV. SEPTEMBER A. M. 1700

GABRIEL CHRISTIANUS JAGGIUS
BIBLIOPOLAR

WITENBERG
TYPIS ADAMI CHRISTIANI JAGGIUS





§. I.

Quem admodum ius eligendi et praesentandi personam ad munus sacrum, quod vocant Patronatus, priuatis, iure Canonico et Protestantium, variis acquiritur modis, compluresque honorificos, viles et onerosos complectitur effectus, de quibus consulendus IO. SAL. BRVNNQVELL in scriptis Academicis *de variis iuris patronatus acquirendi modis: de iure patronorum honorifico primario, nimirum iure praesentandi. De utilibus patronorum iuribus, ex corrupto ecclesiae significatu natis, parum vel plane non utilibus,* ita ex diuersis quoque causis istud vel in totum amittitur, vel saltem pro hac vice suspenditur, et ad superiorem v. c. Episcopum, penes Protestantes vero ad Principem, vi iuris summi circa sacra, quod pars est superioritatis territorialis, deuoluitur, ab eoque per Senatum ecclesiasticum exercetur. Vid. INSTRUMENT. PAC. OSNABR. Art. V. §. 26. IO. SAM. STRYCK. Disp. *de Iure Papali Principum euangelicorum.* Add. IO. G. ESTOR. Disp. *de Iure Devolutionis.* In praesenti praecipuos modos, quibus hoc ius suspenditur, breuibus persequi, constituimus.



§. II.

Quamvis iure Communi, vtrum patronus obaeratus iure adhuc suo vti queat, an vero id in creditores, curatorem bonorum et seque-
strem transferatur, anceps sit quaestio, si quidem priorem sententiam
CARPZOV. in Iurispr. Eccles. Lib. I. Def. 44. et BEYER. ad CARZOV.
cit. loc. non modo comprobatur, sed et eam ad speciem, qua creditores
iam sunt in bona patroni debitoris immissi, extendit BRUNNEMANN.
in Iur. Eccles. Lib. II. cap. VIII. §. 16. ibidemque STRYCK, HORN. ad
SCHILTER. Inst. Iur. Can. Lib. I. Tit. XIV. §. 15. E. F. MANZEL Disp.
de iure patronatus ad creditores non transeunte, posteriorem vero
FINCKELTHAVS. de Iure Patronatus cap. VI. n. 48. et BOEHMERVS
in Iur. Eccles. Prot. Lib. III. Tit. XXXVIII. §. 118. amplectitur, Ius
tamen Saxonicum Electorale, ius Patronatus, cum praedium, cui id
cohaeret, ob aes alienum, tam post, quam ante motum concursum,
sequestratur, nec a debitore, nec a sequestre, sed, salvo iure possessio-
rum, a Principe per Senatum Ecclesiasticum Dresdensem exerceri, in
RESCRIPTIS d. d. 28. Ianuar. 1732. et 27. Sept. 1741. quae in CORP. IV-
RIS ECCLES. SAXON. pag. 550. seq. reperiuntur, extra controuer-
siam ponit. Quam vero sanctionem ad magistratus v. c. oppidanos,
quorum bona sub sequestro sunt, cum Simoniac suspicio in eos, qui
interdum diuersas alunt sententias, non cadit, haud extendendam esse,
edocet KÜSTNER. ad DEYLING. Inst. Prud. Pastoral. Part. II. cap. I.
§. 19. sub lit. q. Cuius sententia in RESCRIPTO EL. SAX. absque
die et anno tamen a BEYERO ad CARPZOV. Iurispr. Eccles. Lib. I.
Def. 44. adducto, vi cuius senatus oppidanus Ortrantensis, cum bona
eius sequestro essent subiecta, iure collationis adhuc dignus est iudi-
catus, in primis confirmatur.

§. III.

§. III.

Cum ecclesiae admodum interfit, ne diu maneat viduata et pastore destituta, iure Canonico recentiori ius devolutionis introductum, si patronus laicus intra quatuor menses, et ecclesiasticus intra sex, a die notitiae consecutae, successorem in officio sacro non eligit ac praesentat. cap. 3. 22. et 27. X. de iure Patronat. cap. vnic. de iure Patronat. in 6^{to}. Add. 10. SAL. BRUNOVELL *de diuerso patroni ecclesiastici et laici iure.* Quanquam hoc temporis spatium, si ecclesiae minister ab vna ecclesia in aliam transit, aut officio suo renunciat, aut ab isto deponitur, et sic annus gratiae in Saxonia cessat, et apud nos est obseruandum, HORN. ad SCHILTER. Inst. iur. Can. Lib. I. Tit. XIV. §. 30. idque et comprobatum in ORD. ECCLES. MAGDEB. cap. XIV. §. 4. et GVELPHERBYTANA Part. I. cap. II. §. 2. teste BOEHMERO in iur. Eccles. Prot. Lib. III. Tit. XXXVIII. §. 97. nihilo tamen secius hic iuris Canonici terminus in Electoratus Saxonici ecclesis haud attenditur, si defunctus parochus viduam et liberos reliquit, cum istis ex ORDINATIONE ECCLES. sub Rubr. *Von Immunitätibus und Freyheiten derer Kirchendiener §. und zu ferner Gnade* in solatium dimidius annus gratiae sit assignatus. Interim effluxo hoc tempore, nec interim electo et praesentato successore, moneri patronum a Consistorio, vt intra certum tempus peremptorium v. c. XIV. dierum praesentet successorem cum clausula comminatoria: *daß in dessen Verbleibung die Pfarre ex officio vor diesmahl, und sonst dem patrono an seinem iure patronatus unbeschadet, ersetzt werden solle,* diuersa RESCRIPTA SAX. ELECTORALIA de an. 1634. 1635. 1690. et 1706. a CARPZOVIO et BEYERO in Iurispr. Eccles. Lib. I. Def. 15. excitata luculentissime demonstrant.



§. IV.

Nec minor negligentia a patrono committitur, peccando in modo prouidendi, cum inhabilem v. c. extra matrimonium natum, nec legitimum, aut imperitum, et indignum ad officium sacrum praesentauerit, qui ab Episcopo, aut Consistorio deinde repulsus fuerit, si quidem paria sunt, non prouidere vacanti ecclesiae, et non legitime prouidere, cap. 2. X de Translat. Episc. Quod hac in specie eligendi potestas aequae perdatur, et ius deuolutionis obtineat, clare apparet ex IVSTINIANI Nouel. CXXIII. cap. 18. nec non ex cap. 7. §. 3. et cap. 25. X. de Elect. et Elect. Pot. Quibus, si collator loco inhabilis et indigni reperti, praeuia facta admonitione, nec potest, nec vult alium sistere, Ius Saxonicum adstipulatur in ORD. ECCLES. Art. Gen. I. verbis: *Da sie aber befinden* et Tit. *Vom Beruf und Annehmung derer Kirchendiener* verbis: *Wenn aber der Lehnherr*, CORP. IUR. SAX. ECCLES. pag. 13 et 152. et cum eo consentiunt sanctiones in Ducatu Saxoniae et Landgraviatu Hassiae penes BOEHMERVM in Iur. Eccles. Prot. Lib. I. Tit. X. §. 8.

§. V.

Quodsi inter patronos de iure patronatus ipso lis mota, bonae fidei possessorem hoc ius valide exercere, etiamsi alius deinceps ius patronatus euicerit, non modo iure CANONICO cap. 19. X. de Iure Patronat. cap. 2. vt lite pendente nihil innouetur in 6^{to}, sed et SAKONICO EL. RESCRIPTO de an. 1662. in CORP. IUR. SAX. ECCLES. pag. 435. disertis verbis est prouisum. Iung. CARPZ. in Iurispr. Eccles. Lib. I. Def. 21. Sed si ipsa possessio illius adhuc est litigiosa, nec lis intra tempus praesentationi praefixum ad finem perducitur potest, prouisionem beneficii esse penes superiorem, saluo iure eius, qui ius patronatus euicerit,



cuicerit, a quo prouisus postea repraesentandus est, declarat cap. 12. 22, et 27. X. de Iure Patronat. Add. BERGER in Resp. 135. Part. I, G. L. BOEHMER Princ. Iur. Can. Lib. III. Sect. IV. Tit. XII. §. 606.

§. VI.

Pari ratione ius eligendi ad superiorem pro eo tempore deuolui, si diuersi patroni, quibus collatio muneris sacri simul competit, candidatos aequè dignos praesentent, nec sibi in paritate suffragiorum cedere velint, constituit cap. 3. X. de Iure Patronat. et RESCRIPT. SAX. EL. de an. 1690. penes BEYER. ad CARPZOV. Iurispr. Eccles. Lib. I. Def. 15. idque et in aliis terris Protestantium in usu esse, exemplis illustrat HORN. ad SCHILTER. Inst. Iur. Can. Lib. I. Tit. XIV. §. 16. IOH. GOD. KRAVS. in Disp. de Concione Docimastica §. 24. Add. IOH. TOB. REINHARDT de eo, quod iustum est circa dissensum patronorum in praesentatione parochi.

§. VII.

Cum responsio ad articulos inquisitionales famam suggillet, nec non delinquentem suspendat ab officio, et exercitio iurium honorificorum sibi competentium, BEYER in Delin. ad C C C. Art. VI. pos. 5. seq. WERNHER. Part. III. Obf. 58. LEYSER. ad π . Spec. LII. med. 6. intellectu est facile, collatorem crimine Simoniae, (ob quod, si probatum fuit, et totali iuris patronatus priuatione coerceri potest secundum cap. I. X. ne praelati vices suas vel eccles. sub annuo censu conced. et BEYER. ad CARPZOV. Iurispr. Eccles. Lib. I. Def. 40.) alioque atrociori suspectum et inquisitione tempore vacantis ecclesiae pressum tam diu a muneris ecclesiastici collatione esse arcendum, donec ab illa sit liberatus. Praestito vero ab eo iureiurando purgatorio, liberum absoluto.



absoluto crimine concedendum esse patronatus exercitium, et pastorem, pendente inquisitione a Principe constitutum, ad aliud munus sacrum ex voluntate patroni vocandum esse, ostendit KÜSTNER. ad DEYLING. Inst. Prud. Pastoral. Part. II. cap. I. §. 19. lit. q.

§. VIII.

Tandem in exercitio Iuris Patronatus ad annum Decretorium in Germania respiciendum esse, elucet ex INSTRUMENTO PACIS OSNABRVG. Art. V. §. 31. BOEHMER. in Iur. Ecces. Prot. Lib. III. Tit. XXXVIII. §. 68. Ex quo consequitur, vt v. c. Romano Catholicus, si anno 1624. in his terris collationis ius non exercuerit, et candidatum Lutheranum ad ecclesiae Lutheranae pastorem eligere et Consistorio praesentare non potuerit, a collatione officii sacri in ecclesia Lutherana excludatur, ita vt ius patronatus evangelico nec cedere, nec demandare queat, cum cessionarius iure cedentis tantum vtatur. arg. L. 5. C. de hered. vel act. vendit. et reale ius patronatus absque praedio, cui inhaeret, in alium transferri nequeat, cap. 7. et 16. X. de Iure Patronat. Saluo igitur iure Patronatus in praesenti Princeps per Senatum Ecclesiasticum candidatum eligit et ad munus sacrum vocat. Quod copiosius ex iure Saxonico explicat, et eiusmodi alienae, quamvis toleratae, religioni addicto iura reliqua patronorum honorifica etiam denegat KÜSTNER. ad DEYLING. Inst. Prud. Pastoral. Part. II. cap. I. §. 19. lit. q. in fine. Add. BOEHMER. in Iur. Ecces. Pfor. loc. cit. §. 83. Dissentire videtur a LUDWIG in Consil. Hallens. Iureconsultor. Tom. I. Lib. II. Consil. LXXI. num. 36.



Wittenberg, Diss., 1781-82




f

Sl.

✓ Dn 8







Q. D. B. V.

7200

1

CAPITA IVRIS ECCLESIASTICI LECTA
DE
IVRE PATRONATVS SVSPENSO
ET
AD PRINCIPEM DEVOLVTO

PRÆSIDE
CHRISTIANO GOTTLIEB
HOMMELIO D.

TIT. DE VERB. SIGN. ET REG. IVR. PROF. PVBL.
ET FACVLT. IVRIDICAE VITEMB. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORE

DIE XXV. SEPTEMBR. A. R. S. CI^ODCCLXXXI.

DISPVTANDI CAUSA

PROPONIT

CAROLVS CHRISTIANVS AVGVSTVS
BENEMANN

DVBENA. - SAXO.

WITTENBERGAE

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.